

2. et 3. Cl. R. *Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis: nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine.*

Cel. Y. *Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera: et rigor lentescat ille, quem dedit nativitas: et superni membra Regis tende miti stipite.*

2. et 3. Cl. R. *Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.*

Cel. Y. *Sola digna tu fuisti ferre mundi victimam: atque portum praeparare arca mundo naufrago: quam sacer cruor perunxit, fusus Agni corpore.*

2. et 3. Cl. R. *Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis: nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine.*

Cel. Y. *Sempiterna sit beatæ Trinitati gloria: aequa Patri, Filioque; par decus Paraclito: Unius Trinique nomen laudet universitas: Amen.*

2. et 3. Cl. R. *Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.*

1418. Circa finem adorationis accenduntur sex cerei Altaris, tertius Clericus amovet legile cum Missali ab Altari, duo primi accedunt per planum ad Altare, alter ad cornu Evangelii, alter ad cornu Epistolae, et explicant totaliter tobaleam super mensam. Diaconus, lectis Improperiis, accedit ad abacum, sumit bursam cum Corporali incluso, et super eam purificatorium, et facta genuflexione versus locum ubi est Crux, per latus Epistolae ascendit Altare, extrahit et explicat Corporale, et prope illud in parte Epistolae ponit purificatorium plicatum, bursam vero collocat iuxta morem in parte Evangelii. Eodem tempore tertius Clericus collocat Missale cum legili super Altare in cornu Evangelii apertum,

aliquantulum conversum ad medium; alius vasculum vitreum cum purificatorio in cornu Epistolae. Si Ministri non adsint, secundus Clericus peragit quae facienda essent a Diacono. Animadvertant Clerici in hisce omnibus actionibus semper, sive in accessu sive in recessu, genuflexionem esse faciendam versus locum Crucis. Completa autem adoratione, Diaconus nudato capite, comitante Caeremoniario vel Acolytho, veniet ad tapete in quo posita est Crux, ibi genuflectet, deinde adgeniculabitur, accipiet Crucem, eamque elatam sustinens utraque manu referet ad Altare. Si Ministri non adsint, hoc peragat ipse Celebrans. Statim autem ac Diaconus vel Celebrans adgeniculabitur ad Crucem tollendam a tapeti, omnes detecto capite in genua procumbant, ac ita remaneant, donec ipsa Crux locata sit in Altari. Clerici sollicitissime amoveant tapete, pulvinar et velum, et apponunt ignem in thuribulo; et interim luminaria accenduntur ad Sacellum, ubi SS. Sacramentum est repositum.

1419. Hisce dispositis, dirigitur processio ad Sacellum. Praecedunt Thuriferarii cum thuribulis et prunis accensis, sine incenso in eis posito, quia nondum est processio facta, sed aditus ad eam<sup>1</sup>; deinde sequitur Crucifer cum Cruce denudata, delata a tertio Clerico inter duos Ceroferarios, sequuntur in silentio Fratres bini per ordinem cum cereis extinctis, hinc Subdiaconus, postea Diaconus, et ultimo Celebrans, qui cum Ministris ibit capite tecto et iunctis manibus. Si vero Ministri non adsint, ibit ultimo Celebrans, assumpta

<sup>1</sup> Gavant. p. 4, t. 9, de Fer. VI in Parasceve.

Planeta, habens ante ipsum a sinistris secundum Clericum. Cum perventum fuerit ad Sacellum, Crucifer sistit in cornu Evangelii e regione Altaris: reliqui hinc inde in duas partes, ut Celebrans cum Ministris commode transire possit per medium illorum: iuniores remotiores et seniores propinquiores Altari. Celebrans cum Ministris ante aditum Capellae caput detegunt, facta postea genuflexione utroque genu in plano Capellae, genuflectit in primo gradu Altaris et orat parumper cum omnibus; et interim disponitur baldachinum sive umbella, accendunturque intortitia et candelae albae in processione deferendae, quae non extinguuntur, nisi post sumptionem SS. Sacramenti.

1420. Brevi facta mora, si non adsit Diaconus, aut Sacerdos assistens qui, ut dictum est, deficientibus Ministris vices facit Ministrorum, assurgit Celebrans, aperit Arculam, genuflectit et descendit ad primum Altaris gradum, ubi stans imponit thus in thuribulo, sine benedictione et sine osculis, ac deinde genuflexus incensat. Si adsit Diaconus, ipse surgens aperit Urnam, et facta genuflexione in suppedaneo parum in cornu Epistolae, descendit; et tunc Celebrans surgens incensum ponit in thuribulo respective duobus thuribulis more solito et incensat. Exinde surgit ipse Celebrans, si Ministri non adsint, et praevia genuflexione extrahit ex Arcula Calicem, quem in medio Altaris super Corporale reponit, tum facta alia genuflexione descendit ad primum gradum, et genuflexus accipit Velum humerale album. Quo facto, Aram conscendit, genuflectit, stansque Calicem accipit, quem secundus Clericus Velo cooperit, et facie versa ad populum inchoat alta voce Hym-

num: *Vexilla Regis prodeunt* etc., quem Chorus prosequitur. Si vero adsint Ministri, surgit Diaconus, et facta more solito genuflexione, Calicem extrahit, et illum tenens dextera sub cuppa, sinistra sub pede posita, tradit Celebranti, qui interim accepit Velum humerale. Celebrans Sacramentum adorabit, assurgit, accipiet Calicem sinistra ad nodum, dextera posita super Patenam: Diaconus extremitatibus Veli operiet Calicem et manus Celebrantis, genuflectet et SS. Sacramentum adorabit; Celebrans cum Ministris vertitur ad populum, deinde intonatur

## HYMNUS.

*Vexilla Regis prodeunt:  
Fulget Crucis mysterium:  
Qua Vita mortem pertulit,  
Et morte vitam protulit.  
Quae vulnerata lanceae  
Mucrone diro, criminum  
Ut nos lavaret sordibus:  
Manavit unda, et sanguine.  
Impleta sunt, quae concinit  
David fideli carmine,  
Dicendo nationibus:  
Regnavit a ligno Deus.  
Arbor decora, et fulgida,  
Ornata Regis purpura:  
Electa digno stipite  
Tam sancta membra tangere.*

*Beata, cuius brachiis  
 Pretium pependit saeculi:  
 Statera facta corporis,  
 Tulitque praedam tartari.  
 O Crux ave, spes unica:  
 Hoc passionis tempore,  
 Pius adauge gratiam,  
 Reisque dele crimina.  
 Te, fons salutis, Trinitas,  
 Collaudet omnis spiritus:  
 Quibus Crucis victoriam  
 Largiris, adde praemium. Amen.*

**1421.** Intonato Hymno, omnes surgunt, et facta genuflexione utroque genu, revertitur processio ad Altare ordine sequenti: praecedit Crucifer inter Ceroferarios, sequuntur Fratres ordinatim et deinde Thuriferarius respect. Thuriferarii, continuo thuribula agitant, et Celebrans sub baldachino inter Ministros procedentes manibus iunctis, vel habens secundum Clericum ante se a sinistris. Cum processio ad Altare maius pervenerit, Acolythy candelabra in abaco reponunt, et Crucifer deponit Crucem processionalem prope credentiam et secundus Thuriferarius thuribulum dimittit: Fratres Presbyterium ingressi, quin Cruci genuflectant, procumbunt hinc inde vel quasi in gyro, cereos usque ad Officii finem in manibus tenentes.

**1422.** Celebrans, si non adsint Ministri, ascendit Altare, Calicem super Corporale reponit et deinde genuflectit, surgit et descendit ad primum gradum Altaris. Hic deposito Velo humerali, et stans imponit in-

censum in thuribulo, sine benedictione et sine osculis, deinde genuflexus in suppedaneo, triplici ductu SS. Sacramentum incensat. Si vero Ministri adsunt, Diaconus cum ad Altare ventum est, ante Celebrantem genucabit, et ablatis extremitatibus Veli, assurgit et de manibus eius accipit Calicem dextera infra cuppam, sinistra sub pede, et cum Celebrans genuflexus in infimo gradu Sacramentum adoraverit, vertitur ad Altare, ascendit, deponit super Corporale Sacramentum, genuflectit, surgit, solvit et expandit Velum, et iterata genuflexione descendit ad dexteram Celebrantis, cui Subdiaconus Velum expedivit et Caeremoniarius vel Clericus abstulit. Celebrans cum Ministris tunc surgit, incensum ponit, et in infimo gradu iterum genuflexus incensat.

**1423.** Incensato SS. Sacramento, Celebrans, si Ministri desint, accedit ad Altare, genuflectit et Calicem discooperit, et ex eo Hostiam sacram super Patenam deponit, inde e Patena super Corporale, nihil dicens neque signans. Patenam ponit ubi alias, sed super Corporale, non subtus. Deinde genuflectit, et in cornu Epistolae vinum et aquam imponit in Calicem, sine benedictione et nihil dicens. Calicem non abstergit, sed ponit in lateri Corporalis. Rediens ad medium Altaris genuflectit, Calicem in loco solito sine signo Crucis collocat et palla cooperit. Si vero adsint Ministri, Celebrans, incensato Sacramento, simul cum Ministris ascendit ad suppedaneum, ibique manibus positus super Altare genuflectit, Ministri autem genuflectunt iunctis manibus. Subdiaconus, genuflexione facta, transit ad dexteram Diaconi, iterando ibi genuflexionem. Dia-

conus tollet velum e Calice, quod tradet Caeremoniario vel Acolycho, ut deferat ad abacum; tollet deinde Patenam et pallam: Patenam inde accipiet et ante Celebrantem sustinebit intra Corporale; Celebrans accipiet Calicem, et sacram Hostiam ex ipso faciet effluere super Patenam, digito etiam, si opus sit, extollendo, quo in casu digitum postea purificabit in vasculo et absterget purificatorio. Diaconus Patenam tradet Celebranti, qui Hostiam ex ea demittet in medio Corporalis nullum signum faciens, et Patenam ponet a dextris super Corporale. Diaconus inde accipiet Calicem, quem nec ponet super Altare, neque extergit, sed sustinebit sinistra, ampullam vini accipiet a Subdiacono, ut aliquantulum infundat in Calicem; Subdiaconus, sumpta ampulla aquae, tres vel quatuor guttas in Calicem infundet, quin benedictionem petat. Nec Celebrans Crucem faciet, nec solitam Orationem dicet, sed accepto Calice sine osculis a Diacono nihil dicens nec aliquod signum faciens ipsum collocat suo loco super Corporale. Subdiaconus traditis ampullis Acolycho genuflectit et transit ad laevam Celebrantis iterumque genuflectit. Diaconus Calicem cooperit palla.

1424. Hisce peractis, accedit ad Altare Thuriferarius; Celebrans, ministrante Diacono vel respective Sacerdote assistente aut Acolycho respective, imponit incensum absque benedictione et osculis, genuflectit et incensat Oblata dicens: *Incensum istud* etc.; iterum genuflectit et incensat Crucem, dicens: *Dirigatur Domine* etc., et repetita genuflexione Cruci, prosequetur more solito incensationem Altaris, semper genuflectens quoties transit per medium. Incensato Altari, dat thu-

ribulum Diacono vel respective Sacerdote assistenti aut Thuriferario dicens: *Accendat in nobis* etc., et ipse non incensatur. Deinde aliquantulum extra Altare, in cornu Epistolae lavat manus, nihil dicens, facie ad populum versa; Subdiaconus aquam ministrabit, Diaconus manutergium, qui si non adsint, haec facient Acolythi.

1425. Mox Celebrans rediens ad Altaris medium, Ministris sequentibus, si adsint, nempe Diacono in primo gradu, Subdiacono in plano, facta ab omnibus genuflexione, mediocriter inclinatus super Altare, iunctis manibus, dicit voce submissa: *In spiritu humilitatis* etc.; postea, Altari osculato et facta genuflexione, dicit: *Orate fratres*, conversus ad populum, circulum non perficiendo, ad quod non respondetur: *Suscipiat...*

1426. Genuflexione facta, proferens interim secreto: *ut meum ac vestrum Sacrificium* etc., Celebrans iunctis manibus ante pectus, in tono feriali dicit aut cantat respective: *Oremus: Praeceptis salutaribus* etc., et extensis manibus: *Pater noster* etc.: Clerici vel Chorus respondent: *Sed libera nos a malo*, et Celebrans: *Amen* sub silentio. Deinde subiungit in priori tono feriali sine cantu item extensis manibus usque ad finem: *Libera nos* etc., non se signans Patena ad verba: *da propitius pacem*, et Clerici in fine respondent *Amen*. Sub fine Orationis, si adsint Ministri, Diaconus in eodem gradu ibit ad dexteram, Subdiaconus ascendet ad eundem primum gradum ad sinistram, et geniculabunt in extremo suppedaneo.

1427. Tunc Celebrans, facta genuflexione, discooperit Calicem, supponit Patenam Hostiae, et tenens manu sinistra Patenam super Altare, elevat dextera

Hostiam, ut ab omnibus videri possit, non tamen cum Patena, quam Celebrans sinistra tenet super Corporale; non elevatur Casula, nec incensatur Hostia, iam vero crotalum vice tintinnabuli pulsari potest<sup>1</sup>. Dum Celebrans demittet Hostiam, Ministri consurgent et ibunt ad latera Celebrantis, et Diaconus statim detegit Calicem, non enim antea detegit Celebrans, si adsint Ministri.

1428. Deinde Hostiam sacram more solito dividit super Calicem in tres partes, nihil dicens, quarum ultimam immittit in Calicem, pariter nihil dicens nec signans. Tunc Diaconus, si adsit, cooperit Calicem, et facta simul cum Celebrante genuflexione, Ministri locum mutant, et, veniens ad dexteram Subdiaconus, iterum genuflectunt. Si Ministri non adsint, Celebrans ipse Calicem cooperit, quo cooperto genuflectit. Praetermissis *Agnus Dei* et duabus primis Orationibus ante Communionem, dicit tantum manibus iunctis, super Altare modice inclinatus: *Perceptio Corporis....* et *Panem coelestem....* ac *Domine, non sum dignus...* more solito; dein se signat cum Hostia, dicens: *Corpus Domini* etc., et eam reverenter sumit.

1429. Facta brevi meditatione, discooperit Calicem, vel id faciet Subdiaconus, si adsit, cum debitis genuflexionibus, genuflectit, surgit, colligit de more fragmenta, et Patenam purificans demittit in Calicem, quem accipiens dextera, et mento supponens Patenam more solito, omissis omnibus, quae dici solent ante sumptionem Sanguinis, nec se signans, sumit reverenter ex

<sup>1</sup> S. Rit. C. 7 Sept. 1850, in una Veronen. ad 14.

eo particulam Hostiae cum vino. Omissa consueta purificatione, Subdiaconus, vel Acolythus, si Ministri non adsint, ablutionem vini et aquae ministrabit, et Celebrans more solito abluet digitos super Calicem, et ablutionem in medio Altaris assumet nihil dicens.

1430. Interim omnes assurgunt, candelas extinguunt quas vel Clerici, vel aliqui Fratres Laici colligunt. Ministri, si adsint, locum mutant, facta Cruci genuflexione, et Subdiaconus abstergit Calicem, plicat Corporale ut in Missis solemnibus, et defert ad credentiam. Celebrans, adstantibus ambobus Ministris ad Altare, inclinatus et manibus iunctis dicit secreto Orationem: *Quod ore sumpsimus* etc. Si Ministri non adsint, ipsemet abstergit Calicem, cooperit velo, et Acolythus defert ad abacum. Recitata Oratione, Celebrans descendit in planum, cum Ministris et aliis facit genuflexionem Cruci, et tecto capite revertitur ad Sacristiam et paramenta deponit. Deinde dicuntur Vesperae in Choro, ut heri. Quibus finitis, extinguuntur cerei Altaris, et denudatur Altare per Clericos.

1431. Si forte intra functionem huius Ferae Celebrans repentino morbo vel morte corripiatur, alius Sacerdos ieiunus Officium et Missam Praesantificatorum absolvat; si vero nemo alius Sacerdos ieiunus sit, cessat Officium, et sacra Hostia reponatur in Tabernaculo die sequenti sumenda a Celebrante post sumptionem Calicis<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 8 Martii 1821, in una dub., ad 1 et 2. Ratio est, quia Missa Praesantificatorum non est Sacrificium, nec complementum Sacrificii praecedentis diei; ideoque casus, qui supra, non est identicus cum casu expresso in Rubricis Missalis t. X, 3. *de defectibus*: et num. 413 huius Caeremonialis.